

1813

P O L E M I C I.

1814

Fol. CCLX. Jacobi (de Salza) *Episcopi Wratislaviensis* Epistola ad *Bernardum Clesium* Card. *Tridentinum* et *Ferdinandi* Regis Cancellarium de Coenobio *Trebnitzensi* Virginum O. Cist. quod sub fide et clientela Regis *Boemiae* est, et *Duces Münsterbergenses* sub ditionem suam trahere conantur. Dat. ex *Nyffe* in *vigilia Purif. B. V. M.* 1539. Jam anno praeced. aliquot ejus pagi instigante Duce *Johanne* religionem mutarant.

Fol. CCLXII. Thomae Dachperger Oeconomi Episcopal. Epistola germ. ad *Job. Fabrum* de minutis rei familiaris negotiis. Dat. *Viennae* 10. Jul. 1538.

Fol. CCLXIV. D. Johannis Pillbamer Superintendentis Universitatis *Viennens.* Adnotata quaedam miscella, maxime circa causam supra *fol. XXXI.* recensitam.

Fol. CCLXVI. Instrumentum germ. quo *Job. Faber* *Johanni Gaudentio Anhauser* Theol. Professori et tunc temporis Academiae *Vien.* Rectori stipulatur 100. Rhenenses annuos, si pro se aut absente, aut infirmitate praepedito in Ecclesia *D. Stephani*, primariis diebus festis, et Dominicis praecipue *Adventus* et *Quadragesimae* ad populum verba fecerit. Dat. 3. *April.* 1538. Specimen geminum homileticum Viri hujus docti produxi in *Wiens Buchdruckergesch.* p. 382. et 383. *Reutlingensis* erat, eique a. 1542. ad plures abeun-
Denis *Codd. Theol. V. I. P. II.*

ti parentavit *Seb. Solidus* in *Necrophilis. l. cit.* p. 658.

Fol. demum CCLXVIII. Gregorii (*Angerer*) *Episcopi Novae Civitatis* Epistola germ. ad *Job. Fabrum* Coadjutorem suum argumenti ad rem familiarem potissimum pertinentis. Sine die et consule.

Qui Codices hos a *N. CCCCLII.* cum plurimis typis excusis *Job. Fabri* lucubrationibus contulerit, facile perspiciet, quantis laboribus exercita fuerit praestantissimi Praefulis vita. Sed nondum finis.

CCCCLIX.

Codex chartaceus lat. germ. 108
Sec. XVI. et XVII. f. complectitur *Farraginem Scriptorum*, maxime in *caussa Religionis*, compilatam, ut videtur, potissimum ex scriniis *Johannis Fabri* Episc. *Vienn.* ✠ 1541. Insunt vero sequentia: I. *fol. 1.* Formula germ. ejurandi haeresin, Sacerdotibus curatis proposita, ut ad calcem legitur, sub *Ottone Henrico* Duce *Palat.* et *Episcopo Augustano* (*Christoph. a Stadion*) Incipit: *Ich NN. unwirdiger Priester vnd Pfarber zu N. beken albie offentlich Ibr allerliebste In Christo das ich aufs anreizung des Sathans &c.* Ante an. 1542. quo *Otto Henr.* ad *Lutherum* transit.

II. *fol. 2.* Protestatio germ. *Ministorum Evangel. Hassiae* ad *Philippum* Landgravium contra
Q q Edictum

1815

C O D I C E S

1816

Edictum Caroli V. appellatum *Interim* 1548. Incipit: *Die erforderten vnd versammelten Diener des b. Euangelij In Fürstendumb Hessen gedenken vnd verhoffen mit bilff des almechtigen Gottes vnfers liebenn himlischen Vaters &c.*

III. fol. 3. Opusculum sermone italico, quo ostenditur, pie invocari Sanctos, hoc initio: *G. mio honor. Per rispondere al quesito che voi mi faceste a questi giorni sopra la cosa de Santi che gia sono in cielo; cio e con che ragione la chiesa nelle preghiere sue a Dio supplica per l'orationi, et per li meriti della beata Vergine et d'altri Santi &c.* Adjuncta sunt sub finem PP. in hanc rem testimonia.

IV. fol. 9. Ordo et forma absoluedi ab Haeresi. Initium: *Posteaquam poenitentes extra ecclesiam in porticu steterint. In decenti poenitentium habitu, accensis candelis, et crucibus ligneis, per tres dies festos &c.* Additur in fine: *In aliquibus ecclesijs plura faciunt In aliquibus pauciora.*

V. fol. novo 1. Responsum Provincialium Carinthiae ad gravamina a Clero Ferdinando Rom. Regi porrecta germanice. Gravamina haec versabantur circa neglectum Dierum festorum, et sacrae Synaxeos, Jus Patronatus, Electionem Praelatorum, Visitationes Canonicas, Bona ecclesiastica. Incipit: *Anntwürth auff der geistlichen Beschwür Articl. Als die geistlichen fürgeben.*

Das Mengel in der Religion sachen Einfallen &c. Respondent Provinciales plerumque: sibi non constare, in similibus peccatum fuisse, Clerum tamen identidem culpant, seque in *Lutberum* propendere non obscure innuunt. Confer *M. Hansizii Germ. Sacrae T. II. p. 618. ad an. 1549.*

VI. fol. novo 1. *Responsio ad Confessionem quatuor Cuitatum.* Sunt hae *Argentina, Constantia, Memminga et Lindavia*, quae in *Zwinglium* inclinabant, suamque sententiam *Carolo V. in Comitibus Augustanis* 1430. scripto obtulerant, quod supra *Cod. CCCCLIII. fol. 11. et 27.* utraque lingua indicatum est. Indicata etiam est Scripti hujus *Confutatio* supra *Cod. CCCCVI. fol. 1.* sed praesens prolixior est, incipitque: *Quoniam ciuitates quatuor, Argentina scilicet, Constantia Memmingen Lindou, non considerato, quod in ditione Sacri Romani Imperij sitae sunt &c.* Non tamen ab Imperatore proficiscitur, sed Theologorum Consilium est, ut patet ex his verbis ingressus: *Cæsarea Maiestas illis tale responsum iure optimo dare posset.*

VII. fol. 51. Eadem *Responsio* lingua germanica hoc initio: *Die Romisch Kay. M' vnser allernedigister herr hat verschiner tagen von Irer Kay. M' vier steten Nemlich Strasburg Costenz &c.* Utrumque Exemplar multum interpolatum, resectumque est, autoribus, ut videtur, *Job. Fabro et Job. Eccio.*

VIII.

1817

P O L E M I C I.

1818

VIII. fol. 133. Demonstratio germanica: Concilium indictum a Lutheranis inique et sine causa rejici, hoc titulo: *Antzaigung wie vnbillich das aufgeschriben Concilium von dem Lutberthumb abgeschlagen vnd gebindert würdt.* Adnotatur in fronte: Scriptum istud prodiisse *Wormatiae 1545.* in Comitii incerto autore, tributum tamen ab aliis *Johanni Hofmeistero* Augustiniano, qui tunc concionibus habendis inclaruerat, ab aliis *Johanni Cochlaeo*, ab aliis demum, idque verisimilius, *D. Conrado Bruno.* Initium est: *Es seind bis auf diesen tag ettlich Jar hero vill vnd mancherlay schriffen aufgangen von wegen ains Conciliums &c.* Acta in hanc rem narrat *V. L. Seckendorffius Comm. de Luther. L. III. Sect. 31. §. 121.*

IX. fol. 153. Scriptum, cui Titulus: *Vera et Salutaris Gubernatio Ecclesiae Christi praecipue in his sex membris consistit &c.* Est Libellus a. 1545. a Theologis *Wittenbergensibus* jussu Electoris *Saxoniae* conceptus, calamum commodante *Phil. Melanchthone*, qui etiam post *Lutherum*, *Bugenhagenium*, *Crucigerum* et *Majorem* ultimus subscripsit, ut habes apud *Seckendorff. Supracit. §. 119.* apud quem totus Libellus cum var. *Leß.* edit. *Pezeliana* a. 1600. depromtis occurrit, quocum nostrum quoque Exemplar, si cui operae pretium videbitur, conferri poterit.

X. fol. 165. *Georgii Wicelii Libellus pro Concordia Ecclesiae repurgandae et restituendae, missus, ut additur, ad Comitium A. C. 1555.* Comitium haec *Augustae* celebrata sunt; Libellus vero extat impressus *Helmst. 1650. 4.*

XI. fol. 225. *Tractatus de Missa*, qui incipit: *Missae antiquitas iam inde ab etate B. Ambrosij Latinis dictae sunt, quae Graecis συναξεις uocantur &c.* Scriptum conciliatorium est, et fortasse *Georgii Cassandri*; iisdem enim principiis innititur, eadem probat et improbat, quae in *Viri hujus docti Opusculis liturgicis Paris. 1616. f.* simul editis aut probantur, aut improbantur.

XII. fol. 255. *Wolfgangi Hafsbecker* Tractatus germ. ad *Ferdinandum Rom. Regem de Caritate, Operibus Misericordiae et reformatione Hospitalis Viennensis.* Incipit: *Vnser Her Jesus Cristus vnser Haylmacher spricht Johannis am 15. ich pin Ein warer weinstockb &c.*

XIII. fol. 267. Libellus de *Autoritate Confessionis Augustanae*, quae exploditur. Scriptus conjicitur post obitum *Caroli V.* incipitque: *Dominus noster Jesus Christus discipulos suos, non quod eorum et populi sententiam ignoraret, sed quo nos doceret, interrogauit dicens. Quem dicunt homines &c.*

XIV. fol. 273. *Απογεγραφον* Annotationum manu *M. Wesseli* adscriptarum

1819

CODICES

1820

scriptarum margini Libri *Petri de Alliaco de Potestate ecclesiastica*, et *Job. Gersonis de Indulgentiis*. Sunt breves et numero tantum 13. nec magni momenti. *Petri de Alliaco* Liber editus est inter *Gersonis Opera* P. I. Paris. 1606. p. 895. f. titulo: *de Ecclesiae et Cardinalium autoritate*. Opusculum vero *Gersonis* habetur ibi P. II. p. 349. De *Job. Wesselo* Groningano ✠ 1489. acri aevo suo abusu ecclesiasticorum reprehensore adi *J. Alb. Fabricii Bibl. med. et inf. lat. v. Joannes*.

XV. fol. 275. Epistolae binnae *Davidis*, ut videtur, *Georgii* celeberrimi Fanatici ad *Johannem a Lasco* responsoriae. Prior data est 2. Maji 1544. quo anno *David* Basileam accesserat, *Johannes* vero in *Frisia Orientali* *Zwingleii* Dogmata promovebat. Excusat se Scriptor hac epistola, quo minus *Johanni* petenti exponat rationem vocationis suae, et quis eum excitaverit. Initium est: *Emanuel per cuius Deum Deus nobiscum. Gratia et pax &c.* Quandoquidem non grauatus es eruditissime atque adeo nobilis domine *Joannes a Lasco ad me omnium contemptissimum infimaeque sortis hominem tam humaniter ac fraterne scribere, idque inquirendae unitatis ac pacis iuxta veritatem studio &c.* Ignarus erat latinae linguae *David*. En rationem, cur epistolam ab ipso profectam susciper. Ad calcem enim illius leguntur haec: *Interpres. His respondetur prioribus tuis literis quae*

jam paratae ac scriptae erant priusquam posteriores ad Davidem peruenissent. Responsum ad posteriores est sine die et anno, petitionique *Johannis* satis facit; ait namque Scriptor inter alia de Deo: *sui spiritus halitum in faciem meam efflavit — et in me locutus est, Tu es seruus meus adeoque dilectus filius, qui omnem voluntatem meam perficies.* Quae certe *Davidis* somniis adprime congruunt.

XVI. fol. 281. *Summaria Ratio fidei totius Communitatis, una cum Clero Ciuitatis Pragensis, Praesertim erga 4. articulos seu Veritates a Christo prolatas, et a primitiua Ecclesia obseruatas.* Sunt vero hae. Primo: *ut quondam ipse filius Dei Corpus et sanguinem suum discipulis suis tradidit ad manducandum et bibendum, sic cunctis fidelibus ab Ecclesiae ministris est pie tradendum et fideliter ministrandum.* Insanum hic audit Constantiensis Synodi Decretum, quo legem Christi in hac parte impio more damnauit. Secundo: *ut Sacerdotes Ecclesiae Vicarij Apostolorum iuxta formam illorum in uoluntaria paupertate uiuere studeant, temporalium rerum temporali dominio abdicato.* Tertio: *ut verbum Dei non sit alligatum, sed a Sacerdotibus et Leuitis idoneis libere et passim predicetur.* Quarto: *Vt uniuersa uicia publica mortalia per Rectores Politiarum et eos, quorum interest, a plebe fidelium studiosus extirpentur.* Singula haec multis Scripturae locis urgentur. Initium est: *Vniuersis*

1821

P O L E M I C I.

1822

uerfis et singulis Christi fidelibus ubilibet constitutis &c. Magister ciuium, Consules iurati, totaque Communitas, una cum Clero Ciuitatis Pragen. pium aeternae salutis affectum. Vt nostrae credulitatis effulgeat synceritas, ac proinde causae aequitas pateat &c. Confessio haec fortassis edita est a. 1439. Vide Hagecii Chron. ad b. a. Quoad Rem plurimum etiam consonat cum Instrumento Praegenfi, quod exhibet Laur. Byzynius, verius Brzezina, in Diario Belli Hussit. apud Ludewig. Reliq. Mss. T. VI. p. 175.

XVII. fol. 312. Gravamina contra Clerum Ducatus Carinthiae germanice hoc titulo: *Vertzaichnus Etlicher Beschwörungen. Die Geistlichen Im Lannd Khärndtn Belangend. Item: Von Straffen.* Videntur opposita Gravaminibus Cleri, de quibus supra N. V. et licet fortassis aliquantum exaggerata, necessitatem tamen reformationis satis probant. Vide Hansiz. supracit.

XVIII. fol. 320. Gravamina ejusdem tenoris contra Clerum Ducatus Styriae. *Deren von Steir sonnderbar beschwörungen wider die Geistlichen.* Dicitur in ingressu, Gravamina isthaec iussu Regiae Rom. Majestatis proponi.

XIX. fol. 331. Scriptum Germanicum de Concilio idem, quod supra N. VIII.

XX. fol. 341. Opusculum inscriptum: *Pro Tuitione nostrae Religionis &c. Ad Serenissimum et Potentissi: Vngarie et Boemie Regem Ferdinandum.* Jam conti-

netur Cod. CCCCVII. fol. 147. estque Job. Fabri.

XXI. fol. 373. Epistolae tres, quarum prima *Luciferi principis demoniorum ad potentes et prelatos, ad plebanos et curatos, ad episcopos et ad monachos mendicantes et ad taxillorum lusores &c.* Initium: *Lucifer princeps tenebrarum tristitiae, profunditatis &c.* Epistolam hanc inuenisse se testatur M. Flacius Illyricus in Conventu Minor. Magdeburgi auctore Nic. Oren, rectius Oresmio Normanno Sec. XIV. Mathematico, eamque in linguam vernaculam conuersam edidit *ibid.* 1550. 8. et etiam latine anno *praeced.* Inuenies praeterea eandem hanc Satiram, sed multo curtiores, in Job. Wolfii *Leß. memorab.* T. I. p. 654. pariter adscriptam Oresmio, item separatim editam *Witeb.* a Sal. Gesnero, 1604. cum *Serm. Oresmii*, qui habetur Cod. CCCXLII. Post hanc incipit epistola per Petrum de Alliaco — in qua sub nomine diaboli *Leuiathan* alloquitur generale Concilium impediens et ecclesiam pro uiribus diuidens et schisma nutriendum. Initium: *Leuiathan princeps mundi uniuersis prelatibus ecclesiae regni sui pacis scindere unitatem et aduersus ecclesiam Christi schismatis firmitatem seruare. Cum plurimis gentibus imperarem et uniuersum orbem meae ditioni subiugasssem &c.* Excerpta dicitur in marg. Cod. haec Epistola graphica et tota phrasi S. Scripturae exarata ex *cod. domus frat. Nouiomagi.* Fru-

1823

C O D I C E S

1824

stra eam apud *Tribemium, Gernerum, Caveum, Oudinum, Fabricium* &c. quaeras. Quo tempore scripta sit, ex hoc loco conjicies: *Sicut olim dicebant quidam: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego uero Cephe. Sic et nunc per eorum pigrum sollicitudinem et simultatem dicitur: Ego sum Urbani, Ego autem Clementis* (utriusque electi Papae 1378) *Ego uero futuri concilij generalis, Ego arbitralis concordie. Ego resignationis utriusque. Ego talis domini. Ego talis regis. Ego talis commodi. Ego tantorum beneficiorum obtentorum a tali* &c. Habuit Petrus coram Duce *Andegavense* a. 1381. nomine *Academiae Parisinae* Orationem, qua Concilio generali ad tollendum Ecclesiae schisma opus esse demonstravit, quid si eodem anno hanc quoque publicasset epistolam? Meretur certe in Corpus Operum cooptari, si quis olim *Alliacensi*, ut *Gersoni, Dupinius* obtigerit. Tertia demum Epistolarum diabolicarum, quae in margine descripta dicitur ex magno *Cod. S. Jacobi Leodiensis* cui tit. *Demosthe. oratio*, sic orditur: *Epistola transmissa cuidam Hypocrite per Satbanam Demoneum Infernalem. Satbanas regnorum Acherontis imperator — Fidelissimo dilecto nostro. A. perditionis filio nostrorum operum cultori episcopo talis loci salutem et superbiam sempiternam. Verissimis relationibus nostrorum demonum audiimus, quod tuis malis operibus, tuis nefandissimis men-*

dacijs et iniquissimis praedicationibus conaris defensionem (divisionem?) et abhominabile scisma nostrum in ecclesia aduersarij nostri Jesu Christi sagaciter enutrire. &c. Scripta est haec epistola intra annos 1406 — 417. *Angelo Corratio* sub nomine *Gregorii XII.* contra *Petrum de Luna* aliosque sedem pontificiam tenente. Dicitur enim per decursum: *Si quis auderet dicere quod dilectissimus noster. G. publicus et manifestus periurus pro unione moderne ecclesie obligatus esset ad renunciandum papatui — cum non fuerit simpliciter electus sed conditionaliter et modaliter, ut renunciaret* &c. Item: *Faciemus enim, quod ipse noster. G. summus pontifex unum de suis Carpdonalibus simul cum illo Anthonio fraticulo Gabadeo Camerario constituet te.* Quis vero hic A. ad quem Sathanas? Ex Ordine *Praedicatorum* fuisse innuunt sequentia: *quando eras fraticulus praedicator, et: praedica alijs obseruantiam ieiuniorum illius hostis nostri dominici.* Inde vero ad infulas *Ragusinas* euectum, illud: *locum fetidum et ardentem fecimus preparari in medio Arrij et Machometi, ubi a damnatissimis Nicolao olim episcopo Raguginensi praedeceffore tuo, nec non Dominico olim iudice de Viterbio nostri charissimi scismatis nutritoribus — postularis.* Certiora dicturo deest *Ragusinorum Episcoporum Series;* monet tamen *Codex Vatic.* a *Quetifo* in *Scriptt. O. P. T. I.* p. 770. adlatus hoc titulo: *Joannis*

1825

P O L E M I C I

1826

nis Dominici (imo diabolici) archiepiscopi Ragusini Abusiones, Johannem illum Florentinum Card. S. Sixti fortassis hic peti, cujus vitam ibi Quetifus enarrat. Confirmat Ciaconius in Vit. Pontiff. et Cardd. T. II. col. 764. Epistolam hanc a Theod. de Niem primum prolatam adferens, et reipsa extat in hujus Nemore unionis Tract. VI. c. 29.

XXII. fol. 439. *Responsio Catholicorum ad Confessionis Augustanae Articulos a I. ad IX. germanica. Eadem, quae latine habetur Cod. CCCCLIII. fol. 137.*

XXIII. fol. 459. *Ordinatio Ecclesiastica Brandeburgensis germanica hoc titulo: Religion ordnung des Churfürsten von Brandenburg. Reipsa publicatio formulae dictae Interim a Carolo V. in Comitibus Augustanis 1548. propositae, directa ad Senatum Coloniae ad Spream. Incipit: Nachdem die Rbömisch Kay. M^r. vnser allergnedigster herr Auff nechstgehaltenen Reichstag zue Augspurg &c. Mirum, Electorem dicere: Welche auch von allen Churfürsten, Fürsten vnd gemainen Stenden des Reichs einrechtlich bewilligt vnd angenommen ist, cum ex historia de Multorum reclamacione constet.*

XXIV. fol. 468. *Reconciliationis Catholicorum et Eorum qui illis aduersari videntur, modus certissimus a concordia uniuersi studiosissimo הקבה (sequuntur alia tria elementa rabbinica, quorum primum כ, reliqua duo informia)*

in Christi gloriam restitutus aut institutus. G. P. qui N. R. I. auctore. Guilelmum Postellum interpretor, qui linguam graecam et arabicam ann. 1553. et 1554. Vindobonae docuit, ut pluribus executus sum in Wiens Buchdruckergesch. p. 518. Eadem enim commenta hic legas, quae in aliiis typo expressis opusculis suis difeminavit vir hic παγαδοξορατος. Incipit vero: Domine mi Philippe (Melanchthon) mihi ob imaginem et similitudinem Dei mei in te impressam dilectissime, aut tu quicumque es qui in primo ministrandi loco es apud Saxones &c. Pro basi concordiae inter alia ponit, ut Papatum non impetant. Vide, quo modo argumentum instruat: Summum peccatum mundi ait esse peccatum Antichristi; Quum autem sit omnino impossibile, ut summum peccatum mundi committatur ab alio, quam ab eo qui est reuera diuinitus et humanitus constitutus, ut habeatur in summa auctoritate mundi, opus est, vt ille ipse qui est reuera et est habendus a toto mundo, idque duce ratione, Antichristus, habeat summam auctoritatem mundi, hoc est sit summus Pontifex in ipsius Christi loco et auctoritate, non quidem in coelo sed super terram tanquam Apostolorum caput constitutus. Quia tanto grauius est delictum, quanto maior est, qui peccat. Quare ea propositio, quam et Martinus Lutherus et post eum multi alii incepterunt asserere, quod Papa sit Antichristus, hac sola uia et nulla alia potest

1827

C O D I C E S

1828

potest demonstrari et probari. Est itaque a Vobis illi ipsi etiam quanto erit moribus deterior, concedendus ordo ille, quo tam impune iam tot saeculis abutitur, ut possit peccati summus gradus in eum et non in alium rejici. Sed pertaesum jam est nugarum, quibus inductus quis facile literas N. R. I. supra adductas interpretetur: Novam Religionem Instituit.

XXV. fol. 475. *Dissertatio Theologi cujusdam Catholici de vera Ecclesia ex S. Literis, sententiis PP. et Hist. Eccl. sano iudicio congesta, quae incipit: Quum plerique infelici hoc nostro seculo sacrosanctae Ecclesiae antiquitatem, Majestatem, Auctoritatem simul atque unitatem, tum propter certos abusum, superstitiones, et alia id genus Zizania, quae in eandem irrepsisse vix negari potest, tum et propter ecclesiasticorum vitia, quae et ipsa dissimulari nequeunt, ita impugnent &c. Fridericine Nauseae? an Frid. Staphyli, aut Ge. Wicelii?*

XXVI. fol. 488. *Collectanea polemica sermone italo primum sic inscripta: Conclusione Catholice tratte da S. Agostino contra gl' Heretici moderni. Dein sic: Nota d' alcune Hereste condannate dalla Santa Chiesa gia sono più di mil anni. Fortasse Nuntii cujusdam Pontificii ad aulam Ferdinandi I.*

XXVII. fol. novo 395. *Commentarii Actorum in Conventu Ordinum Protestantium inferioris Austriae a 5. Junii 1614. ad diem 19. Januarii 1616. hoc ti-*

tulo: Verzeichnus der Schluffs so in Religions vnd Andern der Löblichen N. Oe. Euangelischen Ständt sachen in des Wohlgebohrnen Herrn, Herrn Sigmund Adam Herrn von vnd zu Traun auf Meissau bedienten Verordneten Ambts vom 5. Junij dis 1614. Jahrs ergangen, vnd umb künsttlicher bessern nachrichtung willen Hierein Ordentlich beschriben worden. De Secessu Provincialium Protestantium a Catholicis, quin et aerarii separatione confer Conspect. Hist. Universit. ad an. 1613 — 16. et Bern. Raupachii. Evangelisches Oesterr. III. Continuat. p. 323.

CCCCLX.

Codex chartaceus lat. germ. 160
Sec. XVI. Folior. 207. f. ex
Adversariis olim Johannis Fabri Episcopi Vienn. ab eoque donatus Collegio D. Nicolai, ut praefixus codicillus impressus, et alter manu Wenceslai Cedlitzer scriptus 1540. testantur, continet sequentia: I. Collectanea quaedam in L. Geneleos Fabri ἀπορυγαφα 1538. ut in tergo Voluminis notatur.

II. fol. 17. *Ejusdem Fabri Libellus consolatorius de superadmirabili — pro quinque beluetiorum utpote lucernae Vranig. Schwicz. Vnderwaldę ac Zuge partibus recens largita victoria. Anno a nato Jesu M. D. XXXII. Constat prolixo Praefamine et VIII. Capitibus, impressusque legitur inter alia Fabri Opera Col.*